

re, jejunare; non sane ut ad ipsum, sed ut ad nos exinde fructus proveniret. Nemo enim Deo quicquã dare vel adimere; nec nocere comòdareve potest. Nobis autem feritur & metitur, si boni sumus; nobis etiam malum creamus, si mali sumus. Deus vero ecquod damnum accipiet, si tu bene agere nolis? Jubet ergo ille sibi serviri, tui non sui causa: qui cum ipsa charitas sit, idcirco inter grata charaq; habet aptaque adeo existere quam plurimos, qui suã charitatem, imo seipsum velint participare. Nimirum sicut mater infantẽ diligens, nõ potest non gaudere illum sibi lac suum exfugere: ita Deus censend⁹ est ex amabilissima sui communicatione suo modo singularem voluptatem percipere.

*Cultus
Dei ve-
rus nobis
non Deo
predest.*

CAPUT XXII.

SICUT ARBOREM EX FRUCTU agnoscimus, ita verum Christianum, nullo alio indicio quam charitate & emendatione vitæ quotidiana posse deprehendi.

Psal. 92. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atriis